

causa trans Tiberim agrum dono dederant, qui postea pratum Mucium appellatus est: *honorata virtute feminas quoque ad publica decora excitatas fuisse Livius a) scribit.* Ita enim Cloelia, virgo apud Romanos non incelebris, una ex obsidibus, quum castra Etruscorum fortè, haud procul ripa Tiberis, locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranavit, sospitesque omnes ad propinquos restituit. Unde pace redintegrata Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, statua equestri, donavere & in summa Sacra Via posita fuit virgo equo insidens b). Regia vero, si parvis magna licet componere, statua fuit, quæ inter *Emmanuelis Thesauri, Comitæ & Majorum Insignium Equitis, Inscriptiones c)* reperitur sequens *Christianæ Alexandræ, Suecorum Reginae, Augustam Taurinorum XVII Kal. Nov. A. M DC LVI. ingredientis elogium, in magnifico arcu triumphali, cujus fastigio geniali ex rogo rediviva Phoenix, aureo redimita diademate, aureoque circa collum radiata torqui insidebat, explicans: Phœnicem visere quisq; auct, huc eat: Hanc molli in Arabia nidulari: Fabula est: In Suetia nascitur: Regnante Claudio Roma visam ne credas: Alexandro Septimo Auspicante: Romam primum adventavit: Unam esse tandem qui putat: male computat: Regnantum, Sapientum, Bellatorum: Viraginum Phœnix: Quadruplex & unica est Phœnix: CHRISTIANA ALEXANDRA: MAGNI GUSTAVI FILIA. Ut reliquas Zarinæ, Lampfacæ, Medæ, aliarumque statuas taceamus.*

§. XV. Non minus propitio fere fato seculorum vim & oblivionem temporum eluisse videntur, mole & pompa nonnunquam majores istæ statuæ, qui mausolæorum aut monumentorum nomine veniunt Auctoribus. Transeant jam, quia majoris mole operis labor est, Ægyptiorum apud *Kircherum d)* Pyramides & Obelisci, ab Artemisia inventa Mausolæa, Castra doloris, & alia nostri ævi Monumenta magnifica: Sola Amazonum sepulcra raritate sua & in illustrando argumento nostro utilitate nos alliciunt, ut iis paulo diutius immoremur. De his enim superbum in primis & memorabile occurrit, quod non

C 2

a) L. II. c. 13. b) Liv. loc. modo cit. c) p. 95. d) T. II. Oedip. Ægypt. P. II. Class. 7. cap. 3 f. 109.

mar.